UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ecclesiasticorvm Vita, Moribvs, Officiis Libri Tres

Schevichavius, Gisbertus

Mogvntiae, Anno M.DC.XXI.

Capvt XII. Clericorvm Regvlarivm In deterius prolapsio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42349

Visual Library

simum vitæ genus monachismum cum clericatu copulans in Gallias inuexit S. Martin. Turonensis Episcopus, vt in eius vita testatur Seuerus Sulpitius. Et *S. Augustin. lib. 8. conf. c. 6. Erat monasterium*, inquit, *Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia sub Ambrosio nutritore.* Et de moribus Ecclesiæ Cath. cap. 33. idem *D. August. Vidi ego*, inquit, *diuersorium Sanctorum Mediolani, non paucorum hominum, quibus vnus presbyter præerat vir optimus & doctissimus. Romæ etiam plura cognoui, in quibus singuli grauitate atq; prudentia & diuina scientia præpollentes, cæteris secum habitantibus præsunt, Christiana caritate, sanctitate, & libertate viuentibus: ne ipsi quidam cuiquã onerosi sint, sed Orientis more, & Pauli Apostoli auctoritate manibus suis se transigunt. Ieiunia etiam prorsus incredibilia multos exercere didici, non quotidie semel sub noctem reficiendo, quod est vsquequaq; vsitatissimum, sed continuum triduum vel amplius sæpissime sine cibo ac potu ducere*, &c.

Clericorum monasteria.

CAPVT XII.

CLERICORVM REGVLARIVM IN *deterius prolapsio.*

§. VERVM vt est natura vitiata ad bonum difficilis, ad malum prona, his motibus quasi fluctibus agitata Canonicorum vita, rupto aggere extra regularis disciplinæ alueum egressa est, qua de re Joan. Trithemius in Hirsaugiensi Chronico ad ann. 975. ita loquitur: *Sub Theodorico Archiepiscopo Treuirensi Canonici maioris Ecclesiæ ibid. abiecta vita regulari, quam hucusq; in eadem Ecclesia maiores eorum continuauerunt, desierunt esse regulares, & facti sunt nomine & cõuersatione sæculares. Quorum exemplo malo Canonici quoq; S. Paulini Treuirenses, S. Castoris in Confluentia, Moguntinenses, VVormatienses, Spirenses, & complurium aliarum Ecclesiarum, diuersis quidem tempo-*

Funestam faciem præferunt Treuirenses, assiliunt mox alii, vt in ardentem cãdelam muscæ.

temporibus, sed vno impietatis spiritu regularis vitæ communitatem abiecerunt. Hæc ille.

§. Quid ergo? Damnandusne iste Canonicorum status? Nequaquam, cum sit longo vsu firmatus, & Apostolicæ Sedis concessu permissus, & in eo multi sanctissimi viri vixerint, & etiamnum viuunt, & diuinarum atq; ecclesiasticarum legum obseruantes ampliſſima in cœlis præmia consequi possint. Ista autem hactenus nobis exposita sunt, vt Clerici in Apostolicæ vitæ, quam illorum maiores duxerunt, archetypum, & perfectissimę virtutis exemplar intuentes toto pectore in propriæ sanctitatis studium, qui alter ipsis constitutus finis est, incumbant, conenturq; esse quod illi fuerunt, aut minimum castimoniam integrè colant, Ecclesiæ bonis decenter ac pie vtantur, statutis ac Maioribus suis obtemperēt, diuinum officium augustè ac sanctè persoluant. Nunc de 3. fine dicendum.

CAPVT XIII.

POSTREMVS ECCLESIASTICO VIRO propositus finis est populi ædificatio, & ad virtutis æmulationem incitamentum.

§. CVM Deus vnicuiq; mandauerit de proximo suo, Eccles. 17. v. 12. vt videl. nunquam noceat, prosit semper, non vtique illum prauo exemplo corrumpere, sed bono exemplo ad probitatis studium prouocare & impellere debet. Quocirca *S. Paulus ad Romanos cap. 12. vers. 17.* monet: *Prouidentes bona non tantum coram Deo, sed & coram omnibus hominibus.* Quod, ait Apostolus, istud est: Tam sobriè, iustè, & piè vestram vitam instituatis, vt Deo pariter & hominibus probetur, nec iure à quoquam reprehendatur, sed cęteris in virtutis exemplum præluceat. Qui idem Apostolus

Abunoquoque proximus ad bonum excitandus.

cap. 15.